



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. IX. Confitebor tibi Domine, in toto corde meo, &c. Carm. gen.8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Quique primarum celeri natatu
 Piscis pererrat æquora.
 Gentis humanæ pater atque custos,
 Quam sancta maiestas tui
 Nominis terras stupefecit omnes,
 Sol quas recurrens adspicit!

PSAL. IX. *Confitebor tibi Domine, in
 toto corde meo, &c. Carm. gen. 8.*

Rerum certa salus te cano, gratias
 Exoluo meritas ex animo tibi:
 Et miranda futuris
 Pandam facta nepotibus.
 Tutus præsidio nil metuum tuo:
 Lætus læta canam sed tibi carmina,
 Te laudabo supremi
 Aeternum ætheris arbitrum.
 Spes hostis temere elatus in improbas,
 Conuersus trepida terga dedit fuga,
 Et uirtute potentis
 Dextræ pectus abiit tuæ.
 Tu uindex cupidus exitij mei
 Perdis, tu trepido præsidium es reo:
 Tu litem mihi iudex
 Ex alto dirimis throno.
 Tu gentis ualido robore barbaræ
 Compescis furias: destruis impios,
 Ut nec nomina seris
 Narret fama nepotibus.
 Tu ferrum è manibus detrahis hostium:
 Prosternisque solo funditus oppida,

Et

Et prostrata perennis
Condīs nube silentij.

Tu rerum sine fine imperium tenens,
Fixisti solium iustitiæ tibi,
Orbem ut legibus æquis,
Vt iustè populos regas.

Quum uis incubuit foeta superbia
Infræni, miseris præsidium pates,
Tuti pandis asyli
Arcem rebus in asperis.

In te uno meritò spem solidam locant
Qui nouere tuum nomen, & ultimo
Vt discrimine amicos
Nunquam destituas tuos.

Ergo arcis merita laude Sionæ
Custodem Dominum pangite: consilij
Decreta ardua gentes
Latè ferte per exteras.

Vindex innocui sanguinis expetit
Pœnas, ui tenues nec finit opprimi
Impunè: applicat aurem
Clamantum querimonijs.

Afflictas bonus ô res propius meas
Contemplare, odijs quem petit improbis
Vis hostilis: & atræ
Mortis faucibus eripe.

Vt qua mole Sion crescit in æthera
Latè conspicua, laudibus efferam
Te, letusque salutem
Acceptam referam tibi.

Demerit meritò fraus sua perfidas

Gentes

Gentes exitio: queis alios plagis
 Irretire parabant,
 Hæfere impliciti pedes.
 O miranda Dei iudicis æquitas!
 Fraudis fraude sua prenditur artifex.
 O res pectoris altis
 Condenda in penetralibus.
 Sic est: interitu deuorat impios
 Improuisa dies: immemores Dei
 Gentes mors inopina
 AÆternis tenebris premit.
 At confusa Deo nuda modestia
 AÆternum Domini non animo excidet,
 Ne clæto miserorum
 Spes frustrabitur exitu.
 Rerum surge parens, neu sine ut impotens
 Aduersus tenues crescat homunculus:
 Et iuris preme frænis
 Gentes arbiter impias.
 Circumsiste tuæ mole potentiaë,
 Terrorem que feris mentibusingere:
 Agnoscat malè firmam
 Sortem gens hominum suam.

PSAL. X. *Vt quid Domine recessisti lon-
 gè? &c.* Carm. gen. 3.

Quonam usq; custos gentis humanæ tuos
 In rebus arctis negliges?
 Quonam aberis usque, dum pios tyrannide
 Premit arroganter impius?
 O si scelestum uergat in caput scelus,
 Suis-